
AD CLERUM
AC POPULUM
DIŒCESEON
S. MARCI ATQUE BISINIANEN.
EPISTOLA PASTORALIS.





TEATE
EX TIPOGRAPHIA FRANCISCI DEL VECCHIO
MDCCCXLIX.

LIVIUS PARLADORE

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER

MISERATIONE DIVINA

AC TER BEATISSIMI IX. PII GRATIA

EPISCOPUS

S. MARCI ET BISINIANEN

IMMEDIATE SANCTÆ SEDI SUBJECTUS

ABBAS COMMENDATARIUS

SS. PETRI, ET DONATI

MONGRASSANI, ATQUE S. SOPHIÆ BARO

VENERABILIBUS FRATRIBUS, AC FILIIS IN CHRISTO DILECTISSIMIS, DIGNITATIBUS, CANONICIS, ANIMARUM RECTORIBUS, CLERO CUM SÆCULARI, TUM REGULARI, MONIALIBUS, MAGISTRATIBUS, SUMMATIBUS, CUNCTISQUE DE POPULO UTRIUSQUE DIŒCESIS PACEM, BENEDICTIONEM, ET SALUTEM A DOMINO SEMPITERNAM.

Unde hoc mihi ut quam amplissimum merear infularum honorem? Unde hoc mihi nullo prorsus merito, nulloque virtutum genere exornato? Nonne eum qui alios regendos suscipit tanta decet gloria virtutis præcellere, ut solis instar, fulgoribus suis, veluti stellarum igniculos ceteros inobscuret? Nonne debet hujusmodi exhibere vitam immaculatam atque compositam, ut omnes in illum, in ejusque vitæ rationem, quemadmodum in exemplar aliquod intentis oculis contueantur? Episcopus namque custos est ovium Christi, Ecclesiæ sponsus, sal terræ, lucerna super candelabrum posita, ac lux mundi. Unde hoc mihi ultimi subsellii viro, qui majora nequaquam optabam, imo in portum neque desidiæ, neque inertiæ, sed silentii ac solitudinis mecum ipse sæpenumero confugere meditabar? Deus qui exploratum habet ac perspectum animum meum, scit quia non mentior! Unde hoc mihi? Vos Marrucinæ Ecclesiæ spes magna, vestrique peramantissimi *Archiepiscopi* dulce decus, dulceque solamen; vos *Adolescentes* ad optimas disciplinas jam informatos, nulla malorum morum, nullaque errorum pravitate corruptos; posteaquam triginta abhinc annis vobiscum vitam degi, vobisque decem per

magnos soles, licet immerito, præfui; vos Adolescentes, gaudium meum, corona mea, quos amore etiam atque etiam sum prosecutus, quique me quanta fieri potest benevolentia redamastis, orphanos relinquam? Quid igitur agam? quid consilii capiam? quam in partem me vertam? quænam potior mihi alternanti videbitur sententia? Nonne Deo subjecta erit anima mea? Opus respuam quod a me *Mater* postulat *Ecclesia*? Augustissimo *Principis* imperio haud obsecundabo? contumaciter renuens voluntatem meam quæram? Admodum equidem infirmus sum, tantumque laborum fastigium impares valde ac fracti ferre humeri recusant; at quis vestigia Dei comprehendit? Magnus est consitio, et incomprehensibilis cogitatu! Potens de lapidibus suscitare filios Abrahæ, infirma, ut solet, eligit mundi. Et sane quibus initiis Christi Sponsa ad gloriam effloruit? Sex, sexque homuli nec authoritate graves, nec opulentia copiosi, nec eloquentia freti, recentes e piscatu, e mapalibus educti, dæmonum contritis simulacris, templisque excisis, in vertice montium Crucem defigunt! Quid ergo? Non mea, Domine, sed tua fiat voluntas. Sacerdos summe, qui jure optimo PIUS diceris opere ac nomine; REX PIENTISSIME, cui dedit Deus præliari prælia sua, nihil, mea pro exigua virtute, vestra jussa morabor'; vobis etenim imperare, mihi mandata etsi gravia et difficilia, cum ipsius Dei sint, a quo velle et perficere æque promanant, capessere omnino fas est. Egrediar de terra mea, et de cognatione mea, et de domo patris mei, et ibo ad locum quem ostenditis mihi. Juvenes optimi, ne mei desiderio commoveamini; quid namque amittitis quod magni facere debeatis? Est *Pater*, est *Pastor*, qui, sicut hucusque, curis perassidnis, omni conatu, omni industria, omnique tempore præsto erit vobis.

Hæc, *venerabiles Fratres*, *Filiique dilectissimi*, alto volvebam animo ubi primum Regium per nuncium observandissimum me vestrum in Episcopum esse designatum innotuit. Fateor quidem, obmutui illa hora, totis artubus contremui, lacrymis uberrimis madnere genæ, piures inde insomnes peregi noctes, nec meas, nec horum præterii preces Alumnûm quibus Divos hujusce Loci custodes fatigarem, ut me ex ancipiti deliberatione labantem expedirent. In præsentia vero spes viva me erigit, quod ille æternus Pastor in omnes misericordia dives, sed in eos potissimum quos segregat in sortem suam, ope ac præsidio mihi non deerit, ut qui adeo sum infirmus et contemptibiiis, non inutiiis tamen *dilecto Gregi*, eique acceptabilis evadam.

Innixus itaque pietati, humanitati, ac moderationi vestræ, veniam ad vos non in virga, verum in charitate et spiritu mansuetudinis; veniam ad vos, Deo optimo maximo auspice, nulla mora interjecta, quantum longum iter, ac vitæ meæ ratio patientur. Jam mihi jucundissimi omnes facti estis; jamque omnes æque, indiscriminatim, ulla sine iocorum et personarum acceptione, sicut filium pater, amicus amicum, frater fratrem, ex intimo sensu in deliciis habeo. Quidquid est in me ingenii, quod sentio quam sit exiguum, quidquid authoritatis, consilii, rerum usus, curæ, industriæ, id totum in vos conferre, vestrisque in rebus totum insumere animus est. Et fortasse amoris, meique studii tesseram exposcitis? Quo magis Deum diligetis, legesque persequemini, eo eritis mihi chariores, eoque diiigentius, operam, cogitationem, mentemque denique

omnem vos erga impendam: hæc tessera, hæc mensura, hic modus. Neque enim asciscendæ laudis causa hæc perficiam: non quæram ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis; sed fiam parvulus in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos.

Utque autem primo prolixis sine exordiis Episcopali, prout mea fert facultas, muneri satisfaciam; ipso Consecrationis meæ die, animo ac corde præsens, hanc pastoralem Epistolam, quæ non secus ac ratis procellæ timida anchoris vehitur solutis in mari immenso, vos ad omnes mitto. Quæ summatim dicam percipite, quæso; diligenter memoria custodite; fideliterque adimplete. Virgo omnis expers noxæ et originariæ, Virgo potens, cujus hodie mirum ac efficax *patrocinium Teatina* præstans *Ecclesia* sollemniter concelebrat, ad Te confugimus, a Te opem petimus, nos benigne protege; Te protegente, quod præsidium efflagito, Deus largiatur; Te protegente, attento animo, bonaque cum venia meam oves meæ vocem audiant; Te protegente, Grex atque Pastor salutem pariter consequantur. Si tuum pro nobis patrocinium, quis contra nos, Virgo potens, Virgo clemens? In Te poterimus omnia, quæ nos confortabis.

O magna et inclyta Dei instrumenta, *Sacerdotes!* Sinite me acervatim vobis omnibus salutem dicere, ut deinde cursim et raptim pro graduum diversitate singulos attingam. Quid Sacerdotium, nisi bonorum omnium summa? Quid Sacerdos, nisi potestas ineffabilis, miraculum stupendum, et fere communis omnium Pater? Vos divinæ voluntatis judices, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, mysteriorum Christi dispensatores, fidelis populi duces, regeneratorum patres, Deum inter et hominem mediatores, Ecclesiæ decus, præliatores præliorum invisibilium, januæ Civitatis æternæ, per quas omnes qui credunt in Christum, ad Christum ingredi dumtaxat fas est! O quam magnam complecteris profunditatem, admirabile Sacerdotium! Sed eminenti dignitati et eminentia insunt onera, de quibus nonnulla enucleare non abs re fuerit.

Hinc primum ne vos pigeat locutionis meæ, *Dignitates* et *Canonici* omnes quotidie in templo Dei alternum orationis thymiama adolentes; nam et egomet hac *Teatina* in *Metropolitana Ecclesia* infulis decorata Ordinis vestri haetenus pars infima fui. Qui sacri Altaris suggestu eminetis, tantum merito inter alios præstare oportet, et opus est, quantum gradu et dignitate. Quamobrem Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, coronati in vasis virtutis, et facti plantatio cedri in Monte Libano, eo solertius satagite ut luceat lux vestra coram hominibus et videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum. Orate spiritu, orate et mente; psallite spiritu, psallite et mente. Estote Præsuli adjutores, consiliarii, assessores; oculosque vestros levate in montes unde ei veniat auxilium. Jurgiis, discordiis, partium studiis, nunquam ea, quæ vos inter præcipue esse debet, charitas dissolvatur. Cor unum et anima una vobis sit perseverantibus unanimiter in oratione. Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

Nihil tam gratum Deo, ut animarum salus. Etenim cur Prophetæ, Apostoli, Justi, Angeli crebriter missi sunt? Cur advenit ipse primogenitus Filius ac Verbum Dei? An non ut homines servaret? An non ut eos errantes reduceret? Quæ cum ita sint, *vos* hac in officii parte mihi *consortes*, egredimini in agrum, commoramini in villis, vide-

te si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Pascite, qui in vobis est, gregem Dei exemplo conversationis, verbo prædicationis, et fructu orationis. Dissidia et scandala præcavete, aut præfocate vix orta; quod ut facilius consequamini, sine intermissione plorate inter vestibulum et Altare. Induite vos, sicut Electi Dei, Sancti, et Dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem; namque bonus Pastor verbera patris, et matris ubera habeat simul necessum est. Zelum vestrum inflammet Charitas, informet scientia, firmet constantia; sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus; nec teporem habeat, nec discretione careat, nec timidus sit. Væ Pastoribus Israel, dicit Dominus, qui disperdunt et dilacerant gregem pascuæ meæ; qui pascunt semetipsos, lac comedunt, lanis operiuntur; gregem autem non pascunt, nec sanant, quærunt, reducunt! Mementote, quod majorem decet honesti rationem ducere, quam utilitatis. Non ut confundam vos hujusmodi scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. Hæc, quantum in vobis est, facite, scientes quod labor vester non est inanis in Domino; quippe quia tempore suo metetis.

Res ipsa nunc flagitat ut vos alloquar, ceteri sæcularis *Cleri Sacerdotes*; vosque etiam quotquot estis Italo-Græci, qui Jesu Christi militiæ nomen dedistis. Omnes Ecclesiasticis rebus, prout quisque se addixerit, rite exercendis tanto studiosius operam date, quanto latius hac nostra ætate censorius rumor percrebuit, Clericorum plerosque nihil societati prodesse, obesse plurimum. Nemo dicat, langori ocioque indulgens: admonere non sufficio, adhortari idoneus non sum; ista est excusatio iniquitatis; sed unusquisque vestrum talento quod accepit in proximorum bonum utatur. Nihil tam divinum habet homo, quam de aliis bene mereri; tametsi ille majora, hic minora beneficia conferat, uterque nimirum pro viribus. Laborate, a negotiis sæcularibus quam longissime remoti, sicut boni milites Christi. Vir generosus nulla molestia, nullo labore, difficultateque nulla in virtutum frangitur exercitatione. Fortiter atque animose doctrinam sectamini, non eam quæ auribus prurit; sed sanam; sed eam quæ fundamento nititur Apostolorum, quamque Sedes omnium Magistra firmat, probat, tenet. Non vituperetur ministerium nostrum; sed exemplum estote fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, in gravitate. Profana et vaniloquia, quæ multum proficiunt ad impietatem, devitate; pollutum nolite tangere: ubi est dignitas, nisi ubi honestas? O *Sacerdotes*, si anima cujuslibet justi sedes Dei est, multo magis templum Dei vos esse debetis mundum et immaculatum. Quorum cor a disciplina recedit, non exaltabuntur; quoniam iter ad honores per virtutem patet dumtaxat. Casum appetit, teste Gregorio, qui ad summi loci fastigia per abrupta (malis artibus nempe, maloque dolo) quærit ascensum. Meritum, in vinea Domini excolenda laboribus multis ac diuturnis, vigiliisque plurimis pertinacibusque adeptum, hujusmodi meritum tantummodo honoribus ac beneficiis dignum est habendum.

De his quæ ad vos attinent, Dei *Præcones*, summo tenus ore aliqua libanda pariter censeo. Quemadmodum haud ferax frumenti terra est, nisi colatur, nihilque parit præter lolia et tribulos; ita cor hominis, nisi semine divino seminatum fuerit, noxia

tantum proferet, aut saltem inutilia, et sterilia. Vos itaque hortor, Evangelicæ tubæ, ut in charitate, sapientia, simplicitate ad catecheses, piosque sermones incumbatis. Vobis docentibus in Ecclesia, non populi clamor, sed gemitus excitentur. Qua de re Chrysostomum audite apprime loquentem : Numqnid temere, et in vanum dicere volumus, ut a vobis laudis fructus recipiamus, et ut plaudentes manibus recedatis ? Non hoc spectamus, absit ; sed vestram salutem. Meus summus plausus est, si quis a vitiis ad virtutem convertatur. Fratres, bullatas nugas projicientes, verbis molliter cerussatis, inflatisque buccis personantes, quærunt quæ sua, non quæ sunt Dei. Cum autem vita sine sermone magis prodesse soleat, quam sermo sine vita ; nam illa etiam tacens prodest, hic autem etiam clamans molestiam affert ; cavete, ne vox sit Jacob, et manus Esau. Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum.

Germen pium, examen novellum, spes Presbyterii, *Juvenes* utroque meo in Seminario degentes, volens ac lubens ad vos progredior ; nova et hic lætitia cor meum exultat. Florete flores, quasi lilium, et frondete in gratiam ; quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Optime morati, nulla, quæ esca malorum est, voluptate illecti, ingenii tractabilitate flexibiles, omnibus obsequentes, nemini adversi, faciles erga æquales, motus animi regentes, disciplinam, cujus finis sanctitas, studiose diligenterque servate ; non vacat quippe discrimine adolescentum impetus, quem sapiens regimen non moderatur : disciplina vultum componit, ligat oculos, cachinnos cohibet, linguam contrahit, gulam compescit, iram sedat, format incessum. Sedulo literis, scientiis sollerter operam navate ; potissimumque veram addiscite sapientiam, quæ in Deum tendit, inque eo conquiescit. Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena fructibus bonis, non intrat in animam malevolam, nec habitat in corpore subdito peccatis. Gratos insuper in Moderatores ac Præceptores exhibete animos, pronas inclinate voluntates, obsequiosos reddite affectus. Charissimi, doctrinis variis et peregrinis nolite abduci, ne insipientium errore traducti, a propria firmitate excidatis. Volatus ille præfervidi ingenii in novos conceptus, bulla est, nata ut splendeat, et pereat ; vix namque in auras emittitur, in auras resolvitur. Doctrina heri invecta, soliditate caret ; dum alio in horas vultu procedit ; verum sapientia æternum quid est ; ideoque mutationis ignara. Atque utinam ambitiosum illud novitatis studium sua vanitate contentum non etiam ad regnorum perniciem grassaretur ! quod blanditur quidem, sed per insidias, per ambages, per involucra, per integumenta : veluti ventus principio adspirat lenius, fluctusque mulcet ; sed demum per convolutum in tempestates oceanum tot ingentesque classes uno naufragio absorbet ! Libellos itaque cavete cane pejus et angue quibus falsi nominis Christiani, omni cura ad verborum fucum, voces phaleratas, ac subdolam loquendi rationem conversa, virus undique collectum seditionis ac impietatis Religionem adversus, legitimasque Potestates, præcipue ætate incautis, offerunt propinandum. Demum, ne vos pluribus teneam, summopere modestiam diligite ; verecundia enim in moribus est tanquam gemma rutilans, pudicitiæ comes, naturæ commendatio, famæ custos, virtutis funda-

mentum, honestatis nota, innocentiæ testis, ornamentum vitæ, rerum decentium honestarumque parens, omnisque turpitudinis inimica. Hoc altius in mente inscribatis prorsus velim; hæc mihi spes arridet et blanditur.

Et nonnulla habeo vobis dicere, honorabiles *Cœnobitæ*, semen cui benedixit Dominus, opus manus ejus ad glorificandum, qui minimi estis in mille, et parvuli in gentem fortissimam. Vos omnes precor, quoad possum, ut concreditum fidei meæ gregem juvare velitis, quo magis in omni bono opere abundet. Studete et vos, ut strenui zelatores, proximorum saluti; manete in vocatione vestra; estote perfecti sicut Domino promisistis; et hilaratus ex corde clamabo: Beati viri tui, et beati servi tui, Domine, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam; quia melior est dies una in atriis tuis super millia.

Generatio quærentium Deum, quærentium faciem Dei Jacob, portio sancta gregis Christi, vos *Virgines* prudentes, animo æquo, imo vero etiam gaudenti ac libenti, suo recens vester Episcopus nunc petit sermone. Ardenti studio, magnaque spiritus alacritate lampades bonorum operum perseveranter præ vobis ferte; potissimum conversatio vestra in Cœlis sit; et abscondet vos Dominus in abscondito faciei suæ ab hominum conturbatione, et proteget in tabernaculo suo a contradictione linguarum. Effundite sicut aquam cor vestrum; levate manus vestras in conspectu Domini, collaudate canticum, benedicite Dominum in omnibus operibus suis; et gemitibus quasi columbæ Eum rogate, ut gressus meos dirigat secundum eloquium suum, et non dominetur mei omnis injustitia; rogate fiducialiter: quid enim auribus Sponsi dulcius ac suavius, quam vox insonat Sponsæ?

Ad vos autem festinanter iisdemque benevolentiæ officiis, Optimates, Proceresque, gradum facio, qui majorum imaginibus clari vel magistratum, vel armorum geritis imperium, vel quomodocumque sive nominis, sive officii amplitudine, honore apud cives perfungimini. Multitudinis ob oculos, quæ imo loco sita est, vos quidem ambulatis; idcirco quo magis conspicui estis, eo vos acrius ad virtutem incedere convenit, ut vestigiis vestris intuentes insistant, atque ad optimam vitæ rationem imitandam inflammentur. In hoc vero quam maxime vobis elaborandum est, ut nefariorum hominum (quorum neminem ad nos spectare in comperto est) contagia averruncetis, qui et Dei simul, et Cæsaris osores, dominationem spernunt, majestatem blasphemant, explicant licentiæ vexillum, opinandi libidinem invehunt immensam, universamque societatis machinam (divinæ Omnipotentiæ fere participes!) renovare, latiusque protendere moliuntur, ubi Christi Crux et Religio tanquam scandalum et stultitia traducantur! Unde tanta insania? Qua postrema super re adhuc multa dicenda superessent, quibus omnis boni acerrimi adversarii (si quod suum est ac proprium excipiamus) fucum faciunt, decipiunt, produnt; sed calamo parcendum autumo; melius est enim diligentiæ laudem prætermittere, quam Literam Pastoralem verbis colutulare Christicola plane indignis.

Neque vos, *Divites*, prætereundos consentaneum arbitror. Incerta admodum et in-

stabilis divitiarum possessio est, prorsusque periculis referta; ideoque dum tempus habetis facite vobis sacculos qui non veterascunt; sine tristitia pauperi declinate aurem vestram; qui obturat enim aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. Filios habetis? Unum plus numerate, ut Augustini verbis utar, et date aliquid et Christo. Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata. Divitias ne in concupiscentiis insumatis: harum usus bonus, abusio mala, solicitudo pejor, quæstus turpissimus; ille dives vere est, qui in Deo dives est; quandoquidem Dominum timentibus nihil deest.

Cum porro ad omnes societatis, et christianæ disciplinæ rationes honesta et sancta liberorum institutio magni intersit; saltem paucissima quæ ad parentes pertinent meminisse juvabit. Exercete, *Patres*, tanta praesertim in temporum pravitate, atque improbitate, ad virtutem ac pietatem tenellos filiorum animos; ceteraque omnia secundo loco quaerite. Pro Christo et vita aeterna vigilate, monete, corripite opportune, et importune; verum severitatem, ne eos ad iracundiam provocetis, cum lenitate ac mansuetudine temperate: sit rigor, sed non exasperans, neque sæviens; sit pietas, sed non plusquam expediat. *Matres*, vos quoque Chrysostomus superius laudatus apposite compellat: filiarum curam vobis assumite; est ea cura vobis perfacilis. Ante omnia pias esse, religiosasque docete, nec non sæculi suis illecebris irretientis, atque exterioris ornatus præter modum luxuriantis, contemptrices; eas si ita institueritis, non ipsas modo servabitis, sed earum etiam filios atque nepotes. Parentes, liberorum sunt interfectores qui eorum temperantiam negligunt, et moderationem.

Mihi denique oratio est cum vobis omnibus, utriusque Diœcesis, Filii Dilectissimi, cujuscumque ordinis, vel conditionis. Jugiter recolentes quo pretio redempti estis, sobriam, justam, et piam ducite vitam in hoc sæculo. Quæcumque sunt vera, quæcumque justa, quæcumque pudica, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Obedite Præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem de animabus vestris reddituri. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; cum omnis potestas sit a Deo. Præcipue autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam fovete amore fraternitatis, amore simplici; quia charitas operit multitudinem peccatorum. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est.

Quoniam vero omnis a Domino sufficientia fluit, adeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus. Quare, agite, *Virginem* magis ac magis obtestemur *Deiparam in Cœlum Assumptam*, cujus nomine et patrocinio clarissima Bisinianen Cathedralis insignitur et gloriatur; et *Nicolaum Barien*, quem Patronum altera æque præstantissima Sancti Marci veneratur et colit: adsint Gregi, Pastori adsint; eisque omnia quibus indigent charismata indulgeant benigni. Humili quoque et supplici oratione utriusque Diœceseos precemur *Tutelares*, ut gratiam Jesu Christi nobis concilient ampliorem. Mediatores itidem accedant triumphantis Ecclesiæ Cives, suis præsidiis, et custodiis *Teatinum* hocce *Seminarium*, (quod grata semper ac

semper prosequar memoria) munientes ac tuentes, *Sacratissima* uempe *Jesu* et *Mariæ Corda, Justinus, Philippus, Philumena, Carolus, Alphonsus, Raphael, Cajetanus, Aloysius,* rursusque *Nicolaus,* quem teneris ab unguiculis mei, meorumque custodem appellare ac adamare lætor ; ut qui usque adhuc humillimum me Rectorem asservarunt, et uune ad Episcopatum evectum una cum commisso mihi Grege gubernent, protegant, salvent.

Hosque omnes coelorum Divos, Fratres, Filiique, precibus collatis pro SS. PIO enixius exoremus. Firmamentum a Deo fixum, Saxum immobile, Portusque fidei, Doctor Supremus orbis terrarum, PIUS accessu facilis, alloquio comes, aspectu benevolus, arrisu gratus, PIUS, quem jam mira et incredibili laude celebrarunt, astraque super tulerunt, heu tanta in rerum atque opinionum aestuatione, magna temporum difficultate laborat! Verax Crucis discipulus Eum refert qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Egressa est ira a Domino, et plaga desaevit propter peccata populi. Et re quidem vera *universalis Episcopus* (horrendum dictu !) exulans, afflictus, egens; praecellentissimi Ecclesiae Principes finibus patriis expulsi; exagitati, eiecti, mulctati Sacerdotes Dei, ex hisque nonnulli misere interempti; devotae Deo Virgines suo nidulo extorres; templa direpta, arae vel suis nudatae ornamentis, vel fidelium a cultu desertae, Sanctorum Imagines contemptae, claustra eversa; quod in Catholica Religione augustissimum est, modo pedibus attritum, modo canibus appositum; leges ac jura oppressa; morum sanctitas labefactata; cives expilati, despoliatae domus, provinciae sumptibus et jacturis exuctae, inops et exhaustum aerarium, ceteraque impia latrocinii sacrilegiorumque vestigia quid nisi divinae ultionis argumenta in aspectum lucemque protulere? Sed attendit Dominus de Coelo, et vidit de habitaculo Sancto suo afflictionem nostram. Discussa est caligo, diluxit, latissime omnia patent, omniaque nota, et perspectissima videmus. Ne amplius irascaris, Domine, et ne ultra memineris iniquitatis nostræ; ecce respice, populus tuus omnes nos, salva nos; quoniam benigna est misericordia tua. De sacrorum, deque Religionis hostibus infensissimis, qui sibi sapientes visi sunt, et evanuerunt in cogitationibus suis, iterumque *PONTIFEX Maximus* triumphet, iterumque; redeat, redeat, rebus compositis, pacis inter complexus ad Sedem Sanctam; redeat suorum amore ac benevolentia fultus; ab adversariorum insidiis redeat securus; diebus perfruatur secundis, errantesque reducat oves, fratresque confirmet. Quis PIO, quæ justitia est erga parentes, pietatem deneget? Nonne filiorum officia sunt reverentia, amor, obedientia? Homines, de quibus loquebatur Apostolus, vos ipsos amantes, cupidi, elati, parentibus non obedientes, ingrati, hæc PIO immania redditis? Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. Fratres, Filiique, nolite timere : hoc habet proprium Ecclesia; dum vim patitur, floret; dum opprimitur, extollitur; dum contemnitur, proficit; dum læditur, victoriam adipiscitur; tumque stat, cum superari videtur.

Te autem *Augustissime FERDINANDE*, qui filii charitate plane, ac vere catholici dexteram *Patri Christianæ plebis* peregrino porrexisti, cumque plurimis contristatum ærumnis, liberali hospitio, amicitia, devotione, omni cura, omni studio adhuc reficis,